



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1663**

S. Ioannes Conf. 10. Octobris.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41940**

**I**OANNIS inter literas etiamnum in  
 Academiâ Oxoniensi agentis animum  
 si inspexisses, templum musarum, sed  
 multò magis virtutum dixisses: ita utra-  
 que pulcherrimo connubio in pectore  
 suo sociavit. Ne verò cum scientiis suis  
 in carne & sanguine volutaretur, anno  
 ætatis vigesimo D. Augustini institutum  
 amplexatus est in Bridlingtoniensi cœ-  
 nobio, in quo cum omnibus se post-  
 poneret, omnibus denique præpositus  
 est, factumque hoc tam lubentibus aliis,  
 quàm uno ipso invito. Tam modeste  
 tamen imperium usurpavit, uti aperta  
 unius è suis convitia non nisi silentio re-  
 felleret, monitusque ut læsam auctori-  
 tatem vindicaret, præstare diceret, ira-  
 tis flammis demere quàm addere oleum.  
 Triclinium illi cum aliis idem, eadem  
 mensa; in mensâ tamen major absti-  
 nentia fuit. Amoris divini æstu tam  
 ardebat, ut, cum sacrificaret, vestes,  
 quibus hieme alii se contra frigus arma-  
 bant, ille tunc poneret, & flammæ pe-  
 ctoris loqueretur frequens multumque va-  
 por è capite palâm assurgens. Ipse cor-  
 pore præsens ad aram, animo intereà  
 cælum obambulabat, incendio ita paula-  
 tim crescente, ut oculi lacrymis non jam  
 fluere, sed toti liquefcere viderentur. De-  
 nique

638 VITÆ SANCTORUM. II. Octob.  
niquē ne dubites *Joannem* in cælum  
evolasse, noveris ante mortem hunc vir-  
gini è Vestalibus uni formâ aquilæ visum  
esse, quæ nubes transcendens illa è sche-  
dâ, quam rostro ferebat, verbo loque-  
batur: *Amor meus Jესus*. Evolare ad  
cælōs etiā tu cupis? ab hoc amore alas  
mutuare, non illo qui humi repit. *Ex*  
*Surio*.

*Quid tibi cum carne & sanguine, qui  
divinam in te gestas imaginem? quid tibi  
cum mundo & vitis, qui ad hoc condi-  
tus esse probaris, ut cælum conscendas,  
atque cum angelicis spiritibus beatâ Dei  
visione fruaris? S. Laur. Justin. de Cont.  
mundi. c. 21.*

S. BRUNO EP. C. II. Octobris.

**F**uit hic BRUNO Henrici Aucupis  
German. Regis fil. Othonis. Imp.  
frater. Scientias divinas juxtâ & hu-  
manas calluit, sed eloquentiam imprimis,  
quam pro miseris potissimum exeruit,  
ut quorum semper bona causa est.  
Temporis avarus nullum nisi literarum  
otium amavit, ut quocumque demum  
cum Imper. Fr. iret; famuli libri sequerentur,  
suavissimè iter inter comites Mus-  
fas facientem. Comitatus uti ipse singu-  
lari erat, ita morum levitatem in aliis  
summe oderat. Quare cum Henricum  
Fr. & affinem Canonem sub divinis cont-  
fabu-